

**Dissertatio inauguralis medica de inflammatione intestinorum ... / praeside
Casimiro Christophoro Schmidelio ... pro doctoris gradu ... auctor
responsurus Iohannes Casparus Ott.**

Contributors

Schmidel, Casimir Christoph, 1718-1792.
Ott, Johann Kaspar.
Universität Erlangen.

Publication/Creation

[Erlangae] : Litteris Joannis Friderici Beckeri, [1747]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/scfba9p2>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE

INFLAMMATIONE INTESTINORVM

QVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO

FRIDERICO

MARGGRAVIO BRANDENBURGICO BORUSSIAE
SILESIAE CAET. CAET. DVCE, BVRGGRATIO NORIMBERGENSI RELIQA
CIRCVLI FRANCONICI DVCE MILITARI SVPREMO ET TRIVM
LEGIONVM ATQVE COHORTIVM PRAEFECTO

DIRECTORE GRAVISSIMO

VIRO PERILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO

DN. DANIELE DE SVPERVILLE

SERENISS. PATRI PATRIAE A CONSILIIIS SANCTIORIBVS ACA-
DEMIAE FRIDERICIANAE ERLANGENSIS CANCELLARIO PERPETVO

AVCTORITATE ILLVSTRIS ET GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
PRAESIDE

CASIMIRO CHRISTOPHORO SCHMIDELIO

SERENISS. MARCHION. BRANDENB. A CONSILIIIS AVLICIS
MEDICINAE DOCTORE, EIVSDEMQUE P. P. O.

IN ALMA FRIDERICIANA ERLANGENSI
PRO DOCTORIS GRADV

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS RITE,
AC LEGITIME CONSEQVENDIS

AD D. XXI. APRIL. MDCG XXXXVII.

PVBLCO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVCTOR RESPONSVRVS

IOHANNES CASPARVS OTT

SCAPHVSA - HELVETVS.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30782089>



DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
INFLAMMATIONE INTESTINORVM,

§. I.



um in praesenti hac Dissertatione Intestino-
rum inflammationem pertractare animus
mihi sit, haud abs re fore censeo, si ex
Physiologia et Anatomia de structura et
vsu intestinorum pauca quaedam patholo-
gicae nostri affectus descriptioni praemittam. Amplissi-
mus quidem mihi sese offerret campus, si quaeuis Entis
Supremi artificia vel ex solis intestinorum fabrica et actio-
nibus euoluere conarer, vbi considerata essent volumen
sive longitudo totius tractus intestinalis in tam arctum
spatium redacta, mirificae eorum conuolutiones et com-
plica-

A

plica-

plicationes, connexio eorundem cum mesenterio artificiosissima, vel varia et necessaria eorum differentia ratione capacitatis, structurae, vsus etc. aut subtilitas non prosequenda vasorum innumerabilium, quibus quaevis intestinorum puncta quasi scatent, vel vsus harum partium multifarius, vel tandem motus eorum continuus, quo certe, si alia taceam, assumtorum cum contentis, resolutio, mixtio, mutatio, particularum nutritiarum ab inutilibus separatio, et separatarum per vasorum lacteorum ostiola resorptio, sicque nutritio nostri corporis non exiguo facilitatur momento. Sexcenta alia praeterire cogor, nisi hac ipsa sciagraphia contra finem harum pagellarum agere velim. Ex omnibus hisce ergo ad rhombum huius tractationis adaptare mecum constitui breuem tunicarum intestinorum, et vasorum tam nerueorum quam sanguiferorum descriptionem, quo sic eo facilius pateant rationes: cur morbi intestinorum tam frequentes sint, praecipue eorum inflammatio? Vnde atrocissima huius affectus symptomata? Cur saepies lethalis? Cur tandem morborum huius generis cognitio medico rationali tam necessaria sit?

§. II.

Per *intestina* intelligimus canalem illum longum, membranaceum, cylindriformem, a pyloro ad anum vsque extensum, qui variis anfractibus et complicationibus sibi inuicem et aliis abdominis visceribus incumbit, mesenterio artificiose colligatus est, et in peritoneo tanquam sacco continetur. Vnum quidem et continuatum constituunt canalem, placuit tamen dudum fabricae humanae

manae scrutatoribus ob diuerfas, quas hinc inde obtinent conformationes, capacitates, contenta forsan et vsus, illa distinguere in intestina tenuia et crassa; quorum portiones etiam propria sortitae sunt nomina, audiunt *tenuia*: Duodenum, Ieiunum et Ileon, *crassa*: Coecum, Colon, et Rectum. Tractus huius intestinalis vsus generatim in eo consistit, vt ingesta, quae ventriculi actionem iamiam passa sunt, non tantum assumat; sed illa affluente liquore bilioso et succo pancreatico in pulsem albicantem, chymi nomine notam mutet, sicque ad chylicationem disponat, particulas ostiolis vasorum lacteorum adaequatas suppeditet, quae ope horum vasculorum sanguini admiscantur; reliqua autem non subigenda excrementorum nomine notata ad anum, et tandem extra corpus promoueat. Quantum autem quaeuis intestinorum portio actionibus hisce producendis tribuat, quod praeter alia demonstraret discrepantia vasorum intestinorum inter se ratione distributionis, vnde absque dubio simul vsus eorum differens pendet, prout idem adducit *Bernh. Siegfr. ALBINVS* a) latiori, quam quae angustis contineatur paginis, indiget explicatione.

§. III.

Tunicarum igitur ex ordine primum agredientibus evolutionem, variae se offerunt Anatomicorum recensio- nes. De numero enim harum tunicarum constituendo debellarunt inter se et veteres et nostri aevi scriptores.

A 2

Tres

a) *Diff. de Arteriis et venis intestin. hominis, cum icone coloribus distincto* Lugd. B. 1746. p. 8.

Tres tantum distinctos parietes admiserunt quidam *b)* alii autem *c)* quartam annumerare tunicam non dubitarunt, dum alii *d)* ad quintam, sextam et ultra *e)* ascenderunt. De quaterno numero certo non adest ratio, cur negetur, cum leui negotio cuius indagatori appareat. Substantia autem cellulosa, quae cuius horum parietum intertexta est, moxque neglecta, mox evoluta pro subiectiratione, incertum effecisse videtur tunicarum numerum. Litem hinc facile componi posse arbitror, vbi compagem hanc cellulofam, cuius parieti interpositam, quae caeteroquin omnes fere nostri corporis fibras circumdat, nec in quouis organo speciatim considerata venit, neque in omni subiecto evoluendam se sistit prorsus eiecerimus, sicque quatuor intestinorum collocauerimus tunicas. Prima itaque quae nobis obuenit tunica *membranacea*, a mesenterio adeoque et a peritoneo originem trahens tubum intestinale ordinat, firmat, semper liquoribus in cauo abdominis transfudantibus lubrica, motum peristalticum faciliat. Altera *muscularis* dicta densitate illam superat, fibrisque suis carneis partim longitudinalibus, orbicularibus partim, quae maiore tamen iure segmenta habentur circuli, proprie motum intestinorum efficit vermicularem; dum

-
- b)* BAVHINVS Casp. Theatr. Anat. p. 123. BARTHOLIN. Thom. Anat. Ref. p. 81.
c) VERHEYEN Anat. C. H. p. 85. KVLMVS Tab. Anat. p. 156.
d) RVYSCH Thes. Anat. 6. N. 19. BOERHAV. Instit. §. 94. HEISTER. Laur. Comp. Anat. Ed. IV. §. 211. p. 82.
e) Idem HEISTER Tom. II. Not. 11. L.(a).

dum fibrae contractione sua alternantes, moxque longitudinem tubi intestinalis, mox latitudinem mutant, contenta protrudunt. Musculari huic tunicae succedit *neruea*, ex tenuissimis filamentis nerueis, structuram cellulofam imitantibus, constans, vasisque simul sanguiferis intertextis totum intestinorum tractum inuestit. Hisce superaddimus tunicam quartam *villosam* nempe, quae ex villis vasculosis arteriosis, venosis, papillisque nerueis consistit, vereque chyli resorbendi organon est, quippe qui in patula per hanc tunicam vasorum lacteorum oscula irruens, vltraque promotus sanguini admiscetur. Caeteris interim haec tunica longior reperitur, dum eiusdem portiones duplicatae fibrillis nerueae hinc inde firmatae assurgentes, valuulas sic dictas conniuentes constituunt.

§. IV.

Nerui intestinorum a *Pari intercostali* communiter vocato, et *Pari octauo* siue *vago* ortum trahunt. Possem quidem vtriusque paris decursum ab originibus vsque in abdomen simul exponere, cum id poscere videatur viscerum nostrorum consensus cum tot reliquis corporis humani partibus. Breuitatis autem studio hoc vnicum notare lubet, de origine Intercostalis paris multum inter Anatomicos disceptatum iam esse. Negant quidam, affirmant alii, par quintum seu diuisum ad paris intercostalis primordia aliquid facere. Posteriores sententiam euertere, stabiliendo priorem, nuper modo susceperunt clari in arte viri Illustr. HALLERVS f) et Cel. HVBERVS

A 3

RVS

f) Diff. de vera origine nerui intercostalis. Goetting. 1743.

RVS g) a solo pari sexto seu abducente ortum intercostalis deducentes, errorem contraria credentium inde natum esse asserunt, quod omnibus arteria, a carotide interna in sinu cauernoso ad nutriendos nervos ibi positos, dimissa imposuerit adeo, vt eius ramulos pro paris quinti filamentis habuerint. Dari tamen, quod pace diligentiae horum virorum dictum volo, euidentes paris quinti ad formandum par intercostale nexus et concursus, etiam sub hac arteria et alibi, pluries vidit, publiceque nuperrime monstrauit Illustris et venerandus D. PRAESES, mox plenius omnia declaraturus. Vt autem in iis, quae ad scopum meum propius pertinent, breuiter me expediam, ordiar succinctam meam paris intercostalis et vagi expositionem ab eorum ingressu in abdominis cauum, ibique solum ea prosequar, quae proprie intestina concernunt. Intercostale vtriusque duobus truncis diaphragmatis carnem, cui ramos largitur, inter appendicum fibras penetrat. Vagum totidem truncis cum oesophago, quem in laxioris retis formam frequentibus anastomosibus cinxerunt, emergit. Anteriores *intercostalis* et posteriores praesertim *vagi* trunci concurrunt inter arteriam coeliacam et mesentericam superiorem; ex hac vnione oriuntur ganglia sic vocata semilunaria, quorum cornua exteriora intercostalis plerumque efficit. Congeries est totum hoc corpus plurimorum minorum gangliorum, quae in utroque latere

g) Epistola Anatomic. de neruo intercostali neruis octauae et nonae paris deque accessorio ad D. D. Wigand. Goetting. 1744.

latere lunatam hanc formam componunt, et simul dum Aortae trunco incumbunt, coeliacam arteriam supra infraque adeo denso nexu filamentorum, quorum quidam ad mesolocon tendunt, amplectuntur, vt extricari nequeant: similia fere circa arteriam mesentericam superiorem fiunt. Ex gangliis hisce proficiscuntur rami, qui plexuum nomen merentur, ad glandulas supra renales, renes ipsos, splenem, duodenum, pancreas, hepar, magna in primis eorum vis ductum arteriae mesentericae superioris sequitur, et plexum mesentericum superiorem, radiorum in modum per mesenterium vsque ad tenuium intestinorum substantiam dispersum constituit, ex quo non solum rami ad praedicta viscera iterum, sed et ad arteriam mesentericam inferiorem abscedunt, ibique plexum eiusdem nominis faciunt, ad cuius formationem tam plexus renalis, quam ramus intercostalis paris posterior suas tribuit partes; hic inter alia praesertim, postquam cum anteriori primi lumbaris ramo coiuit, ramum vtriusque vnum antrorsum dat, qui in sinistro latere vni ex potioribus plexus ipsius ramo adcumbens; ibi confunditur cum congenere isto, qui a dextra plaga corpora vertebrarum traicit, quo facto reliquis plexus mesenterici fibris implicatur. Is idem plexus ad intestina ibi sita, ad flexuram Coli sigmoideam, peritoneum ac vicinas partes discurrit, et ramos super vltimas lumborum vertebrae ablegat; hi se iungunt trunco intercostalis paris posteriori, qui per totum abdominis spatium ad vertebrarum latera decurrit, singulorum lumbarium neruorum ramis anterioribus per furculos concrefcit, in peluim descendit, vbi similis cum
sacris

facris nervis ipsi communio est, et tum ramis ex plexu mesenterico inferiori auctus, spermaticis vasibus, vesicae urinariae, vaginae uteri in feminis, et intestino recto usque ad eius finem in postica parte multiplici fibrarum directione inseruit.

§. V.

Vasorum quoque intestinalium brevis reddenda est ratio. Duplicia sunt arteriosa nempe et venosa. Duodenum ob flexuras suas pluribus visceribus vicinum arterias inde reportat, quarum tamen neque omnes neque semper satis constantes sunt. Habet sic arterias ab hepatica, gastrica dextra, quasdam cum pancreate communes, ut et a mesenterica superiori. Ad reliqua intestina per mesenterium ordinatur arteria *mesenterica magna* s. *superior*, et *altera inferior*, cuius ramus ad intestinum rectum *haemorrhoidalis interna* dicitur. Harum autem distributionibus idcirco non moror, quia satis, ut credo, notae sunt. Praecipuus omnium finis est, ut intestinis sanguinem aduehant. Interdum tamen aliorsum se diffundunt. Ad hepar mesentericam superiorem arteriolas mittere nominatenus affert HEISTERVS *b)*, et ex hoc BIANCHI *i)*. Supplebit itaque alicuius habitum, quem clarissimus D. PRAESES aliquando vidit et communicavit. Mesenterica nempe superior, post ortum ex Aortae trunco non retro duodenum sed super illud ulterius pergens, nullum intestino huic, prout alias solet, dedit surculum, antequam autem

in

b) Comp. Anat. p. 88.

i) Hist. Hepar. Tom. II. p. 903,

in ramos mesentericos discerperetur, oblique sursum reflexit ramum, qui sub pancreate delitescens ad eius caput dimisit ramulum vnum, alterum vero ad contiguam ibi duodeni plagam, post pylorum deinde altiora petiit, et vesiculae felleae propior factus ramum ad eam ablegavit, qui postmodum bifurcus cysticas fecit gemellas; tandem pone latus vesiculae sinistrum ad hepar penetrauit, sinus venae portae dextri medio adsociatus, in tres abiit ramos, quibus lobo maiori et minimi parti inseruit per substantiam horum loborum pro consueta lege distributus. Adeo capax fuit descripta haec mesentericae foboles, vt prope hepar quoque arteriam eam amplitudine superaret, quae ex coeliaca ramus dexter esse solet, et in hoc indiuiduo corpore solum lobo sinistro tribus ramis, tum lobo minimo s. *Spigelii* ramulo vnico se commisit.

Venae intestinorum, arteriarum suarum comites, sanguinem inde reducem omnem Venae Portae infundunt; ab intestino Recto et Colo sinistro reuehit *haemorrhoidalis* vena interna, aut splenicae aut mesentericae aut ipsi Venae Portae trunco inserta: a reliquis intestinis *mesenterica*, super socia arteria cognomine superiore, duodenum traiciens, postquam ex pluribus hic sitis visceribus canales recepit in trunco eodem venae Portae finem inuenit. Quae venulae a duodeno veniunt, neque vni harum nunc nominatarum iam insertae sunt, in ipsa vena Portae finiuntur.

§. VI.

Praemissis nunc iis, quae ad generaliore[m] intestinorum cognitionem pertinent inflammationis quoque ideam

fistere suscipio. Inseparabile inflammationis requisitum est stasis sanguinis purpurei in vasis arteriosis; *k)* venosa enim vt subiectum inflammationis minus adaequatum summo iure reiiciuntur; *l)* nec vasa arteriosa maiora, quatenus canales constituunt, talem pati posse obstructionem, ideo patet, quod notabili satis sanguinis quantitati simul peruia sint. Canales minores sanguinem purpureum adhuc vehentes stasi supra dictae obnoxios esse, triplici argumento clarum est. *Compressione* enim horum canalium violenta fluido denegari poterit transitus, vel *spasmo* quodam p. n. ad eam coarctari possunt paruitatem, vt sanguis in illis coeat, vel demum sanguis ipse adeo *spissescere* potest, vt difficulter aut plane non permeet vltima orificia canalium minoris capacitatis; cum tamen vasorum lateralium repletio per sanguinem purpureum plerumque aut concurrat aut sequatur, hinc ad explicanda inflammationis symptomata vasis lateralibus vel serosis maxime opus erit.

§. VII.

Ponamus ergo casum, vbi sanguis purpureus in vascula lateralia non sanguinem sed aquosos tantum liquores consueta lege ducentia pellitur, quod leui negotio fieri poterit vel *impulsu maiore liquidorum*, vnde aucta canalis sanguiferi diameter ostiola vasorum lateralium simul ampliora reddit, sublato tantum aequilibrio, quod in statu naturali inter impulsum et resistantiam praesupponit.

im-

k) BOERHAAV. Aphorism. 371. et 373.

l) Vid. Diff. de Inflammat. Pathol. Praef. Celeb. HAMBERG, Ien. 1745.

impulsus auctus superabit resistantiam vasorum lateralium, quo fit, vt admittant fluida, quae antea non habuerunt; aperta sic concipi poterit globulis sanguineis via in vasa sic dicta serosa, quorum transparens color in sensus incurrens *Ruborem* ostendet, vel maiorem vel minorem, pro quantitate nempe et situ magis vel minus profundo vasculorum ita affectorum. Sed neque solum impulsus maiorem sanguinis et ruborem inde prouenientem, neque sanguinis motum auctum, vt expressis loquitur celeb. PLATTNER. *m*) verbis, inflammationem ipsam constituere, inde sat clare patet; dum rubor ille pudore excitatus nullos plane producit effectus molestos, imo phlogosis momento citius aliquando existens in statu summe naturali animaduerti potest. Hinc ad inflammationem gignendam requiritur continuata sanguinis actio in vasa lateralia, donec vis eorum elastica tantum sit superata, vt expellere nequeant globulos contentos. Idem autem effectus sua sponte oriri potest *apertione osculorum in vasis minoribus*, quae serosa nominauimus, ex debilitate fibrillarum ostiola horum vasculorum componentium relatiua, vel atonia, vt aiunt, plenaria proueniente. Relaxatis itaque ostiolis vasorum lateralium globuli sanguinei pergunt iter, donec angustia canaliculorum, qui eodem arteriarum artificio constructi, id est, conici vel sensim angustiores sunt, obicem illis ponat; motus hinc sanguinis progressiuus retardatur, imminuitur, tollitur plane, vnde *obstructio*; sanguis presso pede insequens reditum denegat, parietes vasculorum extendit, sicque replentur vasa minima fluido crassiori, vnde *Tumor*; Vasa etiam

in confiniis posita eam in se recipere debent sanguinis quantitatem, quam in statu integritatis vasa nunc obstructa capiebant, hinc alia tumoris causa desumenda erit, de cuius tamen incremento et reliquis phoenomenis §. seq. plura dicentur.

§. VIII.

Si porro verum est, quod nemo dubitat, sanguinem motu progressiuo in debita mixtione conseruari, hoc ipso sublato augebitur motus eius intestinus, sicque cruoris partes intime alioquin mixtae, cum quod impediatur non adsit, pro sua natura secedunt. Superfluum tritum calcare tramitem, partes sanguinis nostri primas constituentes enumerando, enumeratas probando; sufficiat nobis constare sanguinem ex partibus heterogeneis vt vocant, salinis, sulphureis, aquosis, terreis etc. Experientia iam docente fluidum e partibus a se diuersis constans, motum antea, nunc quiescens secundum gradus specificae grauitatis partium suarum agere dicimus. Sanguis itaque stagnans eadem patietur: Partes hinc salinae liberae pro actiuitate sua stimulando, penetrando in minima interstitia, mutando pristina contactus puncta adgrediuntur resolutionem, sicque liberationem aliarum partium facilitant; eae ergo, quae sub forma sulphurearum sanguini admixtae erant, mixtione debita euanescente ignearum sibi relictarum nomen ac indolem induunt, simulque combinatione salium acres redditae, conspirant viribus quasi coniunctis in maiorem maioremque resolutionem, quae si ad vltimum perducitur gradum, destructione finitur. Aqueae partes diluendo et temperando actiuitatem aliarum partium alias agentes, et pauciori ex
hypo-

hypothefi quam in ftatu fano aderunt quantitate, et ob fubtilitatem per interftitia fenfim fenfimque fecedunt; hinc ex defectu potius falium et sulphurearum partium concentrationem promouent. Terreae demum pro indole fua deponentur. Manifeftam idcirco caulam *Caloris* maioris ex liberatione partium ignearum fieri cenfeo. Refolutione autem et tentione folidorum per infarctum fupradictum et irritatione partium falinarum liberarum molefta illa fenfatio vel *Dolor* orietur, partes fic ambientes ad maiorem incitantur conftriktionem, prout id in corpore viuo et fenfiente confueuit, inde maior liquidorum in eadem determinatio et affluxus oritur; aucta hunc in modum quantitate fluidorum in loco fpECIALI, eiusdem intumefcentia fuae maior moles immediate fluit; habemus adeo plures tumoris (§. praec.) caulaf, quae extensione fibrarum ipfa et inde pendente iterato affluxu liquidorum femper nouos acquirunt fontes. *Dolor* tandem *pulfans* fenfitur, fi tumor in plaga arteriae cuiusdam notabilis exiftit, ideoque fibrae partium ambientium p. n. tenfae vibratione eiusdem arteriae quauis moleftius afficiuntur.

§. IX.

Est ergo *InflammatiO* in genere ftafis fanguinis purpurei in motum intefinum abeuntis in vafculis arteriofis aliquando fanguiferis, maxime tamen ferofis vel lymphaticis exiftens, rubore, tumore, calore et dolore (vt plurimum pulfante) coniuncta. Requiritur motum intefinum vt initium a medio hoc eft inflammationem a ftafi difcernamus. Quamuis autem definitio haecce omnibus competat inflammationibus, ficque morbus per fe fit mere particularis; cum nec ftafis nec in farctus omnium fanguinis

neis globulis diametro minorum canalium simul et semel concipi possit. Inflammationem autem ut morbum particularem absque vniuersali per se subsistere, etiamsi contraria credat Celeb. PLATTNER ⁿ⁾ edocemur vulneribus leuioribus in pus coctum abeuntibus.

§. X.

Distinguuntur hinc inflammationes ab auctoribus vel *ratione gradus* aut *durationis*, vbi nempe molesta illa sensatio et omnia enarrata signa absque vlla remissione augentur, quod certo Gangraenam tanquam summum inflammationis gradum indicabit; tandem vero partes sensim sensimque inflammatae extra contactum veniunt et penitus destruuntur, vel quod idem est, sensus omnis et motus simul perit et tunc sphacelum tanquam funestum inflammationis exitum adesse concludimus. Ratione *euentus*, vbi vel resolutio staseos impetratur, vel mutatio fit partium stasin constituentium cum resolutione solidorum coniuncta, in tertium aliquod vel blandum homogeneum, pus nempe coctum, vel acre, rodens, saniosum, hinc vlcera mali moris, scyrrhi, canceri ortum trahunt; quae singula enarrare et explicare cum instituti mei non sit praetereo. Distinguunt porro *ratione loci*, vbi inflammationes subsistunt et vocantur *internae* vel *externae*, priores quidem plerumque periculosiores hisce existunt, ast non semper, quod probant minimae tendinum vel neruorum laesiones lethales. Maioris itaque ponderis erit distinctio, vbi partes inflammatione laborantes in censum veniunt, sicque considerantur *ratione symptomatum*; vbi inflammatio

vt

n) l. cit. §. 49.

vt morbus particularis vel per se subsistit, vel cum vniuersali coniuncta est; illa in partibus minus sensilibus v. gr. in integumentis corporis et substantia cellulosa musculorum locum habet, haec autem semper partes sensiliores occupabit, huc referuntur viscera inprimis nobiliora, quippe quae ob structuram maxime nerueam, hinc sensibilitatem summam, irritationes supra notatas in partes non solum vicinas, sed ad omnes eiusdem structurae communicant. Fit inde, vt maior constrictio vasorum maiorem sanguinis producat reactionem, eius motus progressiuus augeatur, pulsus fiat maior, durus, celer, frequens; dissipentur partes humidiores, corpus siccescat, liberentur in toto corpore partes igneae iusto plures, adsit intemperies calida et sic accensa sit Febris inflammatoria.

§. XI.

Inter viscera haec nobiliora non vltimum merentur locum intestina, prout id ex eorum structura et actionibus (§§. antec.) euictum est. Quam primum ergo in illis eadem quae de inflammatione proposuimus gradu quodam insigniore^o) contingant, laborabunt iamiam affectu, quem his in paginis explicare animus mihi fuit. Monendum tamen erit in inflammatione intestinorum ruborem nunquam in sensus incurrere; quia intestina sub multis integumentis fatis profunde latent, eandemque ob causam
tumor

^o) Adsunt enim historiae morborum et experientia subinde testatur, leuiores intestinorum et ventriculi inflammationes non semper accendere febrem.

tumor eorum vix vnquam, nisi maior existat, nec visu nec tactu se prodet, dum haud concipi licet, parietes intestinorum relative tenues, in tantum increfcere posse volumin, vt prominentiae eorum in abdomine animaduertantur.

§. XII.

Restant ergo vt *signa* inflammationis intestinorum manifesta: calor vel potius ardor acutissimus eorundem lancinans, dolor pungens fixus arteriarum pulsui respondens. Praecipuum tamen et certissimum signum est febris inflammatoria acuta, quacum plerumque alia coniuncta sunt symptomata, virium nempe prostratio summa, appetitus deiectio, ciborum auersio, conatus vomendi, anxietates praecordiorum, angustia, inquietudo, agrypnia aliaque. Pro diuersitate etiam regionum, quae enarratis laborant inflammationis symptomatibus indicantur plerumque, num tenuia vel crassa afficiantur intestina in illis sedem morbi quaerendam esse, prodet dolor immensis acutissimus medium occupans ventrem, circa umbilicum et regionem maxime hypogastricam, borborygmi, conatus vomendi vel vomitus ipsi, alius clausa vel excretiones si adsint tardiores; prout idem annotauit BOERHAAV. *p)* LOMMIVS *q)* addit: vehementius et crebrius delirium incidit. Crassorum inflammationi e contrariis propria sunt: dolor iuxta stomachum et vtrimque ad latera sub hypochondriis non tam grauit affligens, tormina vero frequentiora, et post illa cita alui exoneratio

cae-

p) Aphorism. 960.

q) Obseru. Med. L. II. p. 159.

caeterum remiffiora vt plurimum sunt symptomata inflammationis crafforum.

§. VIII.

Locus interim, quo aeger maximam fentit cruciatus vim, intestinorum portiones affectas indicabit specialiffimas iis, qui fitus eorum indagacionem non in limine tantum falutarunt; grauioris ex. gr. Duodeni et Ventriculi inflammationis notae erunt: dolor igneus circa praecordia, ictericus faciei color, fingultus, deiectiones biliofae per superiora et inferiora iunctae cum cardialgia etiam fyncoptica et facie aliquando hippocratica. r) Coloris icterici cauffa in retentione bilis quaerenda est, quae ob conffriccionem difficulter in duodenum euacuat, quin et in fanguine remanet; fpaflica autem hac conffriccione in conffenfum trahuntur diaphragma, vnde fingultus, ventriculus et connexa inteflina, vnde deiectiones biliofae ortum fumunt; aut enim exprimitur bilis quae reflat et adhuc in inteflinum fluit etfi parcius, quam in ftatu fano, aut fi bilis nimis abundans et acris, rodens facta cauffa inflammationis fuit, ob copiam protruditur; ex iisdem etiam fontibus cardialgia oritur, quae augetur tam ob tenfionem neruorum fupra descriptorum, quam quia inteflina flatus ob conffriccionem retinent. Si denique totum neruofum genus, quod facillime fieri potefl conffriccis fupra nominatis validis nerueis truncis adeo late communicantibus, fimilia patitur, liber intercipitur liquidi neruei circulus et diftributio, euertitur fic vltimarum quoque fibrarum fenfatio, vitalitas, elasticitas, de-

C cens

r) Vid. Frid. HOFFMAN. Medic. Syft. Tom. IV. P. I. Sect. II. p. 346.

cens nutritio et quae plura sunt; patet adeo quoque ratio syncoptici affectus et faciei hippocraticae.

§. XIV.

Si porro in regione hypogastrica transuersim quasi aeger doloris sentiat sedem, quem ad haec nausea et vomendi conatus vexant, eam coli partem, quae a dextro versus sinistrum latus tendit, inflammatione correptam esse, iudicamus; si vero eo potissimum loco saeuat, quem in hypochondrio dextro costae tegunt spuriae, non dubito eam coli partem inflammataam dicere, quae cum ileo connectitur; sinistrum vbi latus in regione lumbari musculique Psoa potissimum ingrato exagitur sensu, eam coli et mesocoli portionem adfectam prodit, quae peritonaeo adhaeret. s)

§. XV.

Inflammationis intestinorum signa excipiunt iam *causae* eiusdem. Omnis inflammationis in genere causa ut aiunt proxima est stasis sanguinis purpurei; quicquid ergo stasin hancce producit, causa inflammationis remota nominari potest. Causae hinc inflammationis intestinorum sunt communes cum aliis inflammationibus; Si enim (§. VI.) compressione vel constrictione nimia arteriolarum sanguiferarum vel spissitudine globulorum ipsa stasis sanguinea in aliis corporis partibus oritur, vascula intestinorum iisdem obnoxia erunt. Vasa serosa eandem patiuntur obstructionem (per §. VII.) impulsu fluidorum aucto vel apertione osculorum spontanea. Nimis autem prolixum foret casus speciales recensere quosuis, quibus stasis
haecce

s) Vid. modo cit. HOFFM, Sect. II. p. 539.

haecce producitur; sufficiat nobis percurrere tantum res n. naturales et p. n. iisque potissimum inhaerere, quae inflammationi intestinorum prae aliis visceribus frequentius ansam praebent.

§. XVI.

Inter *res non naturales* primum occupat locum *aer*, cuius quidem *intemperies calida* iustam sanguinis condensationem impedit, eum ipsum expandit et fluidiora, aquosa, diluentia dissipat; sicque morbos producit resolutorios; auctus simul sanguinis impulsus aperit vascula minima, quae tunc admittunt fluida consueto more crassiora, sicque superato eorum tono obstructioni viam sternit; potius tamen repente *frigida* existens constrictionem vasorum subitaneam producit, maxime in illis locis, qui caeteris sensibiliores sunt, et improvide exponuntur; vnde frequentiore experimur experientia, refrigeratione imi ventris vel etiam pedum insolita tormina oriri vehementiora, quae plerumque stasin sanguineam pro causa agnoscunt. t) De *aere* quouis titulo *impuro* eosdem expectabimus effectus in ventriculo et intestinis, ac si immediate illis applicarentur particulae, quibus inquinatus est; salua enim mixtae, quavis deglutitione visceribus hisce committuntur, et contactum cum eorum parietibus immediatum quasi exercere possunt.

C 2

§. XVII.

t) Fateor quidem alias etiam aeris intemperies inflammationum grauiorum causas efficere remotas, v. gr. aer calidus et humidus, grauis vel rarefactus nimis; nisi tamen praedispositio quaedam intestinorum adsit, vix eorum prae alio viscere expectare licebit inflammationem.

§. XVII.

Maximam absoluunt paginam ad generandum nostrum affectum *assumta*, quo nomine cibum, potum, medicamentum et venenum quoduis ingestum comprehendimus; quae vltima, etiamsi ad res non naturales proprie non pertinere aliquis sentire possit, commode tamen simul nunc a me considerantur. *Cibis copia excedentibus* facultatem vasa premendi, sicque stasin producendi non denegabit, qui proximam eorum cum intestinis considerat vicinitatem, nimia etiam ventriculi et intestinorum extensione vel debilitant plane solida, vel quod minimum ferme est ad p. n. constrictionem illa disponunt; vnde non raro conuulsiones ortum trahere valent; aliquando autem totum obstruunt canalem, sicque Ileon, morbum atrocissimum producunt. Noui talem casum, vbi cerasa integra, nimia deglutita quantitate, obstruendo canalem intestinale, non tantum misere affligebant aegrum, sed subsequens inflammatio in sphacelum terminata illum necauit. Vidi alium, qui deuoratione panis rudioris recentis obstructionem talem ad mortem vsque expertus est. *Cibos viscidos, graues et tenaces*, non ergo facile expellendos idem sequitur effectus; *cibi acidi, acres* concentrati irritationes in primis viis producunt, sanguinem coagulando, corrugando vel laedendo vascula minora, illum ad quietem disponunt. *Potus acidus, austerus* inspissando fluida, crispando solida agit pro gradu concentrationis; *Spirituosus* auget impulsus; maxime tamen potus *frigidus* vel glaciatus vti saepius moris est, praegressa corporis exagitatione tanti periculi stasin et inflammationem infert, vt veneni assumti suspicionem aliquando exhibeat. Intempestiua et nimia
aqua

aquae ingurgitatio nuper atroces edidit effectus; puella nempe post assumptionem purgantis ex Rad. Jalapp. resinosa. ꝑsat. gr. VIII. et merc. dulc. gr. II. nullam medicamenti sentiens virtutem, plenis haustibus superbibebat infusum herb. Theae, mox experitur cardialgiam, anxietates summas et vomitus, quae symptomata cum aestu febrili incipientem iam inflammationem, magnum vero periculum sudor frigidus monstrarunt, non aliunde orta, quam quod particulae quaedam resinosae ventriculo et intestinis se affixerant; prout idem de omnibus resinosis purgantibus fieri solet, si affatim superbibitur. In exemplum esse possunt haec adducta, quod *Medicamentum* etiam *Veneri* subinde pro rerum circumstantium ratione induere possit indolem; summo hinc iure vtrumque productae inflammationis in se deuoluet culpam; cuius tamen fusiori declarationi ideo eo libentius supersedere possumus, quia penitus cognita eorum natura, paucis exceptis, eas nobis inhaerentes manifestabit partes, quae vel ad vasa debilitanda vel irritanda et laedanda, vel coagulanda fluida suum contribuunt symbolum.

§. XVIII.

Vix inde etiam excludi poterit *motus* iusti gradus limites transgressus, qui indole sua haud multum ab aeris calidi effectu discrepat, nisi forte violentam quandam per motum sanguinis purpurei in vascula intrusionem accusare lubeat.

§. XIX.

De *animi pathematibus* notum quidem est, quod actiones corporis mutare, turbare, sicque augere et imminuere valeant; excepta tamen *ira* nullus facile alius affectus,

nostrum inducere poterit malum, et omne quod ira praestat, reduci potest ad exagitationem sanguinis et bilis, quae potissimum tunc nocet, si, quod irati saepius solent, spiritusosa vel frigida ingurgitantur, quorum actio autem supra iam monstrata est.

§. XX.

Retenta quod attinet, haec aut mole sua vasorum compressione, plerumque tamen et potissimum acri sua indole ut acria iamiam exposita haud diu in intestinis subsistent, quin parietum eorundem quibus continentur comitem habeant inflammationem. Reliquarum denique rerum, quas sub non naturalium nomine Medici contemplantur, agendi exponere modum minus ideo necessarium videtur, quoniam omni inflammationi non ei autem solum, quae nobis ob oculos versatur, aptae aliquando deprehendantur.

§. XXI.

Inter *res praeternaturales*, quae causae inflammationis intestinorum nominari merentur primam mihi occupant provinciam ii affectus, qui conspicuo quodam mechanismo per se comprimunt vel contorquent adeo vasa, ut praecclusa quasi sint liquida in vasis intestinorum interceptorum haerentia, unde certo breui stasis, obstructio et inflammatio ortum sumere debent; huius indolis sunt: Voluulus, hernia incarcerata, inuaginatio intestinorum, frequenter etiam ileus, qui morbi, si ad nostrum solum affectum respexeris, nomine non autem effectu discrepant. Huc quoque referri possunt foeces induratae, vel concrementa quaevis in intestinis haerentia, quae eadem ratione inflammationem producere valent.

§. XXII.

Alia dein classis erit, quae ex solutione continui inflammationes intestinorum continet; pertinent huc vulnera intestinorum, a vi externa inflictâ, quae ex inflammatione in sphacelum quandoque terminante maxime ab Auctoribus lethalia declarantur; vel aliae quaeuis eorundem laesiones, ingestione peregrinorum corporum aut animalium rosione prouenientes; quorum exempla in historiis morborum prostant diuersa; speciatim de laesionibus vermium varios recenset casus SCHENCKIUS ^{u)} vbi inter alia asserit; Lumbricos non tantum arrodisse, sed penitus perforasse intestina, quin et per abdominis parietes prodiisse, exempla prostant. ^{v)}

§. XXIII.

Materies porro quaeuis acris, putrida, destructa, purulenta, ichorosa, vel gangraenosa ex aliis corporis partibus ad intestina delata, inflammationis eorum culpam feret; dummodo materia peccans, ob relatiuam intestinorum debilitatem, per actus secretorios magis huc quam ad alia transferatur viscera; quod non raro contingit v. gr. in decursu variolarum non optimae notae, vbi loco saluationis alias consuetae diarrhoea oritur, quae etsi periculum non semper minetur, attamen manifesto indicio est, intestinorum parietibus inhaerere portionem materiae destructae. Eodem argumento exanthemata retropulsa, vel metastases vt vocant ex aliis visceribus ad

inte-

^{u)} Obseru. Med. L. III. Obs. V. p. 373.

^{v)} Ephem. Nat. Cur. Dec. I. Ann. I. Obs. 145. et Dec. II. Ann. VII. Obseru. 15.

intestina decubitus]facientes, incendium eorum fouebunt; quod notauit quoque BOERHAAVE *vv)* et HOFFMANN *x)* de inflammatione ventriculi idem pronuntiat.

§. XXIV.

Adnumeramus denique caussis nostri affectus p. n. omnes illas febres acutas, quae euidentem in intestinorum impuritate haerente acredine biliosa, corrosiua agnoscunt causam; Febres nimirum catharrales malignas, castrenses, causum, febrim biliosam, hemitridaeam, verminosam, epidemicas, dysentericas, mesentericam etc. Speciatim autem hae febres recensitae inflammationem intestinorum ideo caussantur, quia haec viscera impuritatibus iam obruta omnium primum corruptioni apta sunt quam diu enim impuritates sibi quasi relinquuntur, actio eorum minor concipi potest, quo minus stasim aut inflammationem producat; motu autem febris resolutorio exaltantur, si fas est ita loqui, ad tantum gradum, ut facile parietes, quibus continentur, adgredi valeant. His in casibus affectus noster morbis modo recensitis ut symptoma se adiungit, nil minus tamen periculi alit, quin potius, viribus animalibus ex praegresso vel coniuncto primario morbo iam debilitatis, magis perniciosus deprehendatur, hinc merito curae medici dignus censendus est. Sed ne toti exponendae causarum farragini inhaereamus ad ea nos ordo accingere iubet, quae in fugandis tum caussis tum caussarum effectibus aliquam sibi vindicant virtutem.

§. XXV.

vv) Aphorism. §. 959.

x) Med. Syst. Tom. IV. P. I. Sect. II. Cap. III. §. VII.

§. XXV.

Inflammationis *Cura* perfecta absoluitur tempestiua et plenaria staseos discussione; eundem ergo in nostro affectu praefixi finem, quem obtinendum censeo indicationibus sequentibus generalioribus. 1) Adest febris eaque acuta, huic vt symptomati vrgenti succurrendum est temperando aestum, motusque resolutorios nimios. 2) Resoluenda tamen est stasis sanguinea in parietibus intestinorum oborta, et remouenda irritatio. 3) Praecauenda est stasis vltior vel noua, vt et metastasis in vlcera vel gangraenam et sphacelum. 4) Corrigenda sunt ea, quae causam huic affectui dederunt, vel si emendari nequeunt, remouenda erunt e corpore,

§. XXVI.

Imae et ex parte *IVtae* indicationi satisfaciunt terrea fixiora e. gr. pulu. Conch. Lap. cancr. Matr. perl. ppt C. C. philos. Antimon. diaph. vel compos. temperantes et nomine tantum bezoardici, March. etc. quae singula absorbendo et corrigendo partes biliosas modice temperant motus resolutorios; adiunguntur his non incongrue salia media: Tart. vitriol. Arcan. duplic. sal amarum, quae simul incidendo et resoluendo suum praestant vsum. Omnium vero optime se gerit nitrum, quod in inflammationibus internis maximo vsui esse solet iis, qui intemperie calida laborant; abstergit enim non solum et resoluit, sed suo principio acido partes summe agiles adhaerendo illis figit, mutatque in tertium quoddam humoribus quasi adaequatum; indirecte sic spasmos et dolores mitigat, et putredini resistit. Hisce pulueribus tempe-

D

randi

randi scopo addi possunt aquae destill. leniter diaphor. acidiusculae: fl. sambuc. Lil. conuall. Ceraf. n. Fragor. cum Sirup. Acetos. citr. in forma mixturae propinanda. Aut substituuntur alternatim Tinct. temperantes et lenientes: fl. bellid. rosar. r. papau. rh. cum sp. nitr. dulc. vel liq. anod. min. Hoffm. Plura autem horum remediorum afferre dubito, cum passim iam a practicarum rerum scriptoribus producantur, et quod reliquum esset, haec prima indicatio idem cum aliis febribus acutis exposcat regimen. Potus nimirum sufficiens aquosus, non nimis frigidus, acido citri vel quouis alio correcto impraegnatus calorem temperando et diluendo materiam morbi qualemcunque locum habebit. Aer frigidiusculus nimis calido ex eadem ratione conuenientior erit. Exulent ergo alexipharmaca potentiora, spirituosa, anticolica, cardiaca v. gr. Ol bezoard. Wed. et quae huius farinae sunt.

§. XXVII.

Idae conueniunt ea, quae sanguinem in partes minores separant, adeoque illum, qui coiuit, rursus diuidunt et ad permeandum aptum faciunt, id est resoluunt. Aut vim naturae in visceribus laesis augent. Horum classis amplissima est in mat. med. sub resoluent. et discut. titulo. v. gr. Rad. resolu. sarsapar. chinae etc. Herb. Veronic. fanicul. scabios. Pyrol. milles. in forma infusi cum sem. foenic. leniter resolueudo humores, et roborando partim fibras distentas proficua erunt; nec sp. tartar. cum liq. anod. mixti pauca dosis pertimescenda erit; mixturae etiam praec. lenior N. I. scopo resoluendi quadrabit: Indicantur porro salia media, quorum nitr. certo reliquis pal-

palnam praeripit. Notandum tamen, quod ex resolventibus illa solum eligimus, quae introsumpta febrim non augent. Fortiora v. gr. Arnic. infusum, specifici alias in congrumato sanguinis resolutione vsus, heic admittere nequaquam possumus; quia acri stimulante sua actione feбри plus noceret, quam prodesset stasi sanguineae; idem valet de camphora propinata, quae summam resolventi virtutem exercet, ob exagitationes vero, quas producere solet, minus secura erit. Si vero necessitas urgeat, eadem refracta admodum dosi in vsum vocamus, aut externe tantum adplicamus sub cataplasmatum, fotuum, clysterum vel sicca forma. Quin et mucilaginea, inter quae Rad. Cichorei Graminis et Glycyrrhizae vsitatissima sunt, huc non abludunt. Clysteres imprimis ex spec. emoll. ol. chamom. amygd. dulc. cum nitr. et pauxillo camphorae parati et iteratis vicibus applicati tunc maxime profunt, *Si irritatio magna* et inde dolores summi, agrypniae, deliria etc. aegros male habent; nec incongruus, cautissimus tamen erit sedantium vsus, quia omnia anodyna debilitant, et palliatiua sunt; hinc morbis magnis non se cure opponuntur; leniora modo sint, quae adhibemus, ex. gr. M. P. de styrac. de Cynogl. tantillum additur pulu. temperant. vel in mixtura sirup. papar. rh. substitimus, quibus lenissimis absque damno effectum experimur exoptatum.

§. XXVIII.

*III*ta indicatio impletur ex parte, supra adductis n. I. et II. speciatim autem commendatur a quibusdam V. S. quae etiamsi iam factam et ad tempus aliquod durantem inflammationem difficulter tollere poterit in totum,

deriuatio enim tum demum locum habere videtur, vbi sanguinem mittere possumus ex canalibus loco adfecto maxime propinquis, nec eadem ad longum admodum tempus durabit, tamen non spernenda est, quia *Imo*) exempla adsunt, morbos inflammatorios paucis exceptis mitigari valde vena secta, imo omnem aliam aliquando respuere medicationem morbos epidemicos, historiis morborum reliquerunt artis salutaris Practici. *γ) II do*) Si signa plethorae magnae, cuius utique in doctrina de vsu V.S. habenda est ratio, et futurae incuneationis inflammatorum vasorum subsunt.

§. XXIX.

Metastasis in vlcera et IVta. Indicatio poscunt ea, quae pro indole materiae morbificae oppositae quasi naturae, vel probati vsus sunt, vel si causa mali in partium morbosarum nimia concentratione aut agilitate sita est, inuoluentia, mucilaginosae v. gr. gelatin. C. C. farinacea: cremor hord. auen. diluentia: infusa horum vel lac aquos. et oleosa supra descripta, morbum saltem benigniorem reddunt. Materia acris, acida, vel alcalina, putrida prout venena esse solent, mutanda est oppositis in sal bonum etc. que ex Therap. generali facile substitui possunt. Si materia peccans cognita corrigi nequit, vel prius nocitura est et peremtura, antequam emendari potest, commode eliminatur e corpore potu aquae tepidae vel Ipecacuanha psat. si in principio fieri potest; magna interim circumspectione indiget vsus emeticorum,

ne

γ) Refert SCHENCK l. cit. L. III. obs. l. p. 355. inflammationes intestinorum et dysenterias rebelles V. S. solum curatas esse. HOFFM. l. saepius cit. p. 545. frequentione edoctus experientia serio eandem cum cautelis commendat, et obseru. SYDENHAM. RIVER, aliisque illustrat.

ne febris ex irritatione maiore crescat, tum et ratio indi-
uiduorum habenda est. Circa vomitoria itidem prostant
cautelae ubique in Therap. gener. et spec. Illustr. HEISTE-
RVS z) inprimis applaudit maxime D. WAGNERO, qui
febres exanthematicas varias, petechizantes, purpuratas
et alias sub nomine intestinalium vel mesentericarum com-
prehendit, illasque methodo quasi heroica ope Ipecacu-
anhae optime debellari contendit. Securius tamen vbi-
que abstergentibus vti licet, qualia sunt salia media, Rha-
barb. in substantia vel in extract. gummos. quae leniter
euacuant, vel clysteribus frequentioribus, vid. praeced.
§. §. si vero motus resolutorii totam destruere minantur
machinam, priusquam materies morbi vel corrigi vel pla-
ne eliminari possit, tunc probatorum eorum indicatur
vſus, quae roborando leniter, simulque inuoluendo agunt,
v. gr. Cort. Cascarill. Peruvian. vel aequipollens alteru-
tri horum Cort. vel Lign. simaruba; modo non intem-
pestiue vel absque speciali individuorum corporum con-
sideratione adhibeantur. Actionem enim constrictoriam
illis denegare nefas esset; et horum ergo cautelae, hinc
inde reperiundae, iudicio Medici discretiuo committun-
tur.

§. XXX.

Eodem titulo postularent adhuc indicationes speci-
alissimas caussae affectus nostri remotae, quarum non
nisi potiores breuiter tantum proferre necesse duco. v. gr.
Caussae illae, quae complicationibus vel compressione
inflammationem prodixerunt, vt *hernia incarcerata* repo-
sitio-

D 3

fitio-

z) In Compend. Therap. special. Cap. V. §. 29. etc. Lips. 1744
vbi plura videre licet.

sitionem exposcit aliaque remedia, quae sub externe applicatis n. II. iam sufficienter subministrata sunt, ex. gr. clysteres, inter quos mel locum non habet, emollientia cum vino vel lacte aquosa, saponacea. Indicant *Voluulus* et inde pendens *Ileus* lubricantia et lenientia, e. gr. olea blanda, quibus praemissis, deglutienda grauia e. gr. globulus plumbeus, mercurii crudi copia: horum tamen infida et incerta est actio, augere enim voluulum adeo leui negotio quam explicare possunt. Foeces induratae et alia dura deglutita resoluenda adhuc; diluentia, aquosa, emollientia, oleosa, leniter stimulantia, salia media, saponacea poscunt. *Vulnera* depurationem, abstergentia, consolidationem, balsamica requirunt etc. *Vermes* sunt eliminandi, necandi oleosis, amaricantibus vel mercurial, v. gr. mercurii crudi decocto aquoso vel alio appropriato. Sic etiam vomitoria specialissime indicant *venena varia*, quae eo plus nocere possunt, si per totum tubum intestinale traducuntur; quod idem valet de *vitiiis diaetae*, quae causae sunt febrium epidemicarum, vel alia quaeuis, vbi materia peccans adhuc in primis viis decumbit. Plura superesse fateor dicenda, sed rem exhaurire penitus, vix permittunt speciminis inauguralis limites.

